

riationis, & inconstantiae (valde quidem in Principibus, & Senatoribus, quorum consilio ejusmodi leges sunt, vituperabilis, & erubescendae) semper ac fieri potest, excusari debet, ut pluribus plures (f) ostendunt, quos alio etiam in loco recensui. Et his nostris calamitosis temporibus reperire oportebit, in quibus leges ephemeras vidimus, & prius sacer in populum latas, quam an populus eas ferre posset, vel tempori aptae, atque effectu & executione promptae essent, diligenter inspectum fuisset.

35 De quibus omnibus, qui plura velit, adire poterit plenissima scripia Patrum Francisci Suarez, Joannis de Salas, Antonii Velazquez, & aliorum (g), qui peculiariter de legibus scripserunt. Mihi ad hujus Emblematis illustrationem haec tetigisse sufficiat, & colophonis loco ad literam Natalis Comitis (h) verba referre, qui inter alias conditiones legis, ejus immutabilitatem, sive perpetuitatem desiderat, interim dum in totum ratio justitiae, ejus constituta, non defecerit, & statim valde coherenter ad id quod modo de erubescenda legum facili varietate pupugimus, sic signatissime inquit: *Cum lex sit iuricium fundamentum Rerum publicarum, turpe est, & puerile in Regno delirare. Ebriosorumque more, modo hic, modo illuc fluctuare, aut sepius tamquam ab inferis mortuum legem per praeconem revocare frequentibus promulgationibus. Sed conuenit legem ab initio ante promulgationem diligenter consideratam, mox fieri civibus contubernalem, non minus in animis, & consuetudine civitione, quam in libris publicis stabilitam. Est enim clarissimum male institute civitatis indicium, si leges sepe repetantur, quod certe non fieret, si a Sapientibus late essent priores, ac semel late juberentur, ut conuenit, servari, &c.*

36 Nullam porrò meliorem normam in legibus ferendis sequi posse, quam si Christi legem in omnibus, quoad fieri possit, observeremus, & imitemur, piè satis & doctè Alexius Salamanca (i) tribus libris, Dialogis prosequitur, in quorum Calce, haec non contemnda carmina invenies,

*Fatidicis quicunque libris, & legibus ahmis
Instrutus, pretiosum à vili excludere nosti:
Cur p̄etermisso Christo, qui est virus aquæ fons
Tot tibi cisternas veteres aperiare laboras.
Quarum nec una quidem vitales continet undas?
Ne precor usque adeò leges mirere Lycurgi,
Nec tam antiqua tibi placeat precepta Solonis.
Non Numa Pompilius, nec docti jura Platonis
Occurrant, que cuncta carent munimine vita.
Verum si legum tibi conditor est quis amandus;
Legislatorem verum tibi dilige Christum;
Lex Christi leges alias; gens ipsius omnes
Religione alios populos precellit, &c.*

Quibus, & illa D. Paulini (k) convenire videntur,

*Quid enim tenere bonum, aut verum queant?
Qui non tenent summe caput.
Veri bonique sumitem, & fontem Deum,
Quem nemo nisi in Christo videt?*

Quæ referens Albanus Spinasatus (l) concludit, non in sacris solum, sed & publicis in legibus haberi, insanos & helleborosos censendos esse Legislatores, qui non recte divinis sunt initiati, & ab his sua auspicantur edicta, qua sine vera Religione labescunt.




EM-

(f) L. fin. In fin. C. de modo multar. Burgos de Paz, Co-
chier, Callis. Ramir. Perot. Valenz. & alii apud Med.
2. tom. lib. 4. cap. 12. num. 72. vide latè Beyerlinch. verb.
Leges, pag. 61. & seqq. doctè, & copiæ D. Joan. Matienz.
in tract. de natura legum.
(g) Doct. sup. tit. D. & C. de legib. Velazq. de optim.

Princip. lib. 4. annot. 2. Petr. Gregor. à. cap. 5. Saaved. d.
Empr. 21. Matienz. ubi supr.
(h) Natal. Com. lib. 27. hist.
(i) Alex. Salamanca. in Dialog. de Rep. Christ.
(k) D. Paul. in carm.
(l) Spinasat. in Politism. lib. 1. cap. 1. &c. 2.

EMBLEMA LXVII.

LEGUM LANGUOR.



*Ferreus arcano trahitur Magnetis amore
Annulus; inde alium protinus ipse trahit.
Tertius hunc sequitur, longo sic ordine plures,
Quique magis distant, hos trahit ipse minus.
Sic jus languescat, ruet observantia legum,
Quò magis abfuerint Principis ora Pii.*

COMMENTARIUS.

1 **P**raeclare docuit Pomponius Juris-Consultos (a), parum esse jura & leges in civitatibus inveniri, nisi sint qui jura reddere possint. Quod licet ad Magistratus respiicit, Nos nunc, non minus vere & congruent, ad Reges & Principes trahimus, illos iterum, atque iterum admonentes, parum se fecisse putare debere, si justarium salutariumque legum moenii, seu vallis, sua seperint Regna, nisi simul eorumdem sedulos se custodes, & excubidores ostendant.

2 Nam ut & in aliis, Augustus Caesar, testante Paulo Juris-Consultus (b): *Salutem Reipublicæ tueri, nulli magis creditur convenire, nec alium sufficere ei rei, quam Cesarem, ita hoc præcipue de legum tutela, ac custodia credere debent, quæ ut Columela (c) inquit, in benè moratis civitatibus, earum primoribus, atque optimatibus semper fuit reservata, & nisi Rex juvet ipsum quod jubet, suoque calore, ac vigore foveat, & tuetur, nil leges sine moribus vanæ proficiunt, ut alibi dixit Horatius (d), nulloque discriminè languentes & perententes, pravæ mores, ut Plautus (e) ait, eas in suam potestatem perducent, & in civitate dominabuntur.*

3 Unde merito Petr. Andr. Canonherius (f) dicere potuit, quod quemadmodum nihil differt habere pharmaca, & remedia, & iis nolle agrotos uti: sic paria sunt, non habere leges, & in civitate non servari, adducens in rem hanc Joannis Lautembarchii (g) Emblema, sive Epigramma, quod sic habet,

*Ut sine pistillo frustra campana movetur,
Inque caris semper turribus era silent.
Esse supervacuas sic leges nemo negabit,
Has nisi præcipiat Rector habere locum.*

Ve-

(a) Pomp. I. C. in l. 2. §. post originem, de orig. jur.
(b) Paul. in l. 3. de offic. Pref. Vigil. vide Gall. de pac. publ. lib. 1. cap. 1. &c. 4.

(c) Colum. lib. 12.

(d) Horat. lib. 3. od. 24.
(e) Plaut. in Trinum.
(f) Canonher. in Apb. pol. tom. 1. pag. 499.
(g) Joan. Lautembarch.

*Vetus is Imperii nervus, punire nocentes,
Et conferre pari premia lance bonis.*

4 Quod & ipsum, & quam sit vera, & necessaria hæc legis ad Regem, & Regis ad legem reciprocatio, nuperus Poëta Anglus (b), ingeniosus adhuc hoc carmine clausit,

Lex sine Rege, velut lumen sine Sole fuisse:

Rex sine lege, velut Sol sine luce foret.

Grex Regem primo legit, Rex cum gregie legem

Condidit: hinc legem Rex regit, atque gregem.

5 Et evidenter ex sacris Literis fit, in quibus simul atque Rex Regni sui solium ascendebat, Deuteronomium (i) legis accipere, secumque habere, omnibusque diebus vitæ sua legere jubeatur, &, ut ex Rabinorum Synedriis, Mariana, Saa, Joannes Drusius, Villalpandus (k), & alii post Lyram, observant, duplicatum quidem illud, ut unum in archivis reponeret, alterum, literarum, & membranarum subtilitate ita concinnum, ut enchyridionis vel amuleti instar, facile secum foras prodicens, semper portare, & vel brachio appendere, commode posset. Unde & in Paralypomeno (l) legirus, ordinante Joaïada Pontifice, Joas filium Ochozias, septennem adhuc, ut regnaret, educum fuisse, eique diadema impositum, & legem tenendam in manibus datam, sicut Regem constitutum fuisse.

6 Qui mos & in Fonticūm, Imperatorum ac Regum inaugurationibus ubique, etiam hodie servatur, dum legum exactam observationem pro virili jurare coguntur, quasi qui earundem, ut & autores, ita & accerrimi vindices esse debeat. Quod tendens Horatius (m), dum diu absentem à Roma Cesarem Augustum, reducem optat, inter bonos alios effectus, quos Urbi ejus præsentiam, ac potentiam allatos spopdet, languentium ejus absentia legum vires, & securum quietumque cuiusvis sortis hominum statum enumerat, sic scribens,

Sic desideris icta fidelibus

Querit Patria Cesarem.

Tutus bos enim rura perambulat:

Nutrit rura Ceres alnigra faustitas!

Paccatum volitant per mare nautæ.

Culpari metuit fides.

Nallis polluitur casta domus stupris:

Mos, & lex maculosum edomuit nefas:

Laudantur simili prole pueræ:

Culpam pena premit Comes, &c.

Quod magnus hic Vates, securius de hoc Principe sibi promittere potuit, de quo Tranquillus (n) scribit, in se, non solum legum tutelam, quod Imperatoris proprium munus erat, recepisse, verum & morum, quod ad censoriam severitatem spectare solebat, hocque regimen æquè perpetuum, quamquam sine censura honore, & nomine peregrisse.

7 Quam eamdem curam in omnibus Principibus, si boni ut oportet, esse percupiant, omnes passim Politici Scriptores commendant, sed pro multis Alphonsum Regem nostrum allegasse sufficiet, qui non contemptus in quadam ex suis legibus (o) Regem regular comparasse, per quam omnia, quæ à legibus deviant, cognosci, emendari, & dirigi debent; in alia (p), eundem corodi humano similem faciens, sic habet: *E los Santos dixerón, que el Rei es puesto en la tierra en lugar de Dios, para cumplir la justicia, é dar á cada uno su derecho. E porende lo llamaron Corazon, é Alma del Pueblo. Ca asi como yace el alma en el corazon del ome, é por ella vive el cuerpo, é se mantiene, asi en el Rei yace la justicia, que es vida, é mantenimiento del pueblo de su señorío.*

8 Quæ verba imitari videtur Sanctus Thomas (q), dum dixit: *Hoc igitur officium Rex se suscepisse cognoscat, ut sit in Regno, sicut in corpore anima, & sicut Deus in mundo. Que si diligenter recognitet, ex altero in eo justitia zelus accentetur, dum considerat se ad hoc positum, ut loco Dei iudicium in Regno exerceat, ex altero vero, mansuetudinis, & clementie lenitatem acquirat, dum reputat, singulos qui suo subsunt regimini, sicut propria membra. Et utraque satis indicant, quam verè quidam (r) ex nostris dicere potuerit,*

Ninguna lei tiene estima,

Nun-

(b) Oven. lib. 3. epigr. 36. pag. 67.

(c) Deuter. 17. 18.

(k) Marian. Saa, Drusius, & Lyra in diB. cap. 17. Vi-

llalp. in Ezch. tom. 5. cap. 18.

(l) Paralyp. 1. 23.

(m) Horat. lib. 4. od. 5.

(n) Sueton. in Octav. cap. 37.

(o) L. 6. in fin. tit. 1. part. 2.

(p) L. 5. ed. tit. & partit.

(q) D. Thom. de régimini. Princip. lib. 1. cap. 12.

(r) Jul. de Almend. in hist. D. Joan. de Sabag. cant. 3.

pag. 73.

Quando no la esfuerza el Rei;

Que es como muerte la lei,

Quando su Rei no la anima.

9 Et Marcus Antonius Petilius (s), post plures alios ex Politicis admonere, Principibus in medio Regni sui habitandum, quod omnibus æquè præsto sint, suoque calore necessarium vigorem impertiri legibus valeant. Adducens similiter cordis comparationem, quod propè ventrem medio in corpore natura locavit, ut membris omnibus commodius succurrere possit. Et posset etiam aliam ex Sole desumere, qui numquam ita ad unum, vel alterum Polum accedit, ut Zodiaci sui medianam viam excedat. Unde illud Claudiani (t).

Mediorum non deserit unquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.

Et Tiberii apud Tacitum (u): *Cui immotum fixumque semper fuit, Roma non exceedere, unde in omnia regimen, nec omittere caput rerum, neque se, nec Rempublicam in casum dare.*

10 Certe enim, quod longius corporis membra à cordis calore, & vitalibus actionibus distant, eò magis frigori, & aliis passionibus subjacent. Idemque ipsum in legibus experimur, quas dubitabile non est, languidius se habere, minùsque efficaciter observari, in provinciis à Regiis oculis, ac brachiis longè distantibus. Nam licet pro viribus current (prout & ipsorum munus exposcit, & D. Thomas, & alii (x) suadent) æquam de longinquo, ac de propinquis, curam habere, cum omnium æquè patres existant; & Ovidius (y) alibi dixerit,

An nescis longas Regibus esse manus?

Quod, ut Erasmus (z) tradit, jam in Adagium pertransiit, & prius ab Herodoto (a) traditum fuit, inquiete: *Etenim Potentia Regis supra hominem est, & manus prælonga.* Adhuc tamen numquam tantum efficeri poterunt, ut jussa sua, ipsis longè distantibus, non frigescant, aut in totum cordis calore destituta, frustrantur, ac viribus careant. Quamvis apud Hegesipum (b) Titus Imperator ita nimis sibi deferens ad Judæos scripsisse legatur, *Nunquam ita occupati sunis, ut absentes simus orbi terrarum: nam & absentes adsumus, & longè positis propriis assistimus.* Utque anima in corpore omnia membra vivificat sua, sic Romana præcidentia omnibus Imperii partibus adest, & totum Orbem Romanum tanquam præsens gubernat: nam si singularis animis illa vis divina regendi corporis virtutem dedit, quanto magis Romano vigori, quo quasi unum totius Imperii nostri corpus animatur, tuendi ejus vitalem quandam substantiam subministrabit?

11 Atque hoc est, quod Nos præsenti hoc Emblemate significare contendimus, dum Magnetem lapidem pinguis, mira, occultaque adhuc, sua natura, & proprietate, (inter plures alias, quas de eo variis Auctores (c) scribunt) annulum ferreum ad se trahentem, & suspendentem, qui & ipse, quasi ab eodem lapide virtutem accipiat, alium etiam suspendit, & sic tertius quartum, & deinceps; ita tamen, ut qui longius distant, segnius stringantur, & tandem in remotioribus, primi mobilis vis omnino deficiat. Quod se vidisse, & cum primùm vidit, vehementer inhorruisse, D. Augustinus (d) testatur: *Quis enim (inquit) istam vim lapidis non stuparet, que illi non solum inerat, verum etiam per tot suspensa transibat, & invicibilibus ea vinculis subligabat.*

12 Philo (e) quoque Judæus probare intendens, homines hodie minores, & exilio antiquioribus nasci, quia jam à sua primæva natura longius abscedunt, his relatu dignis verbis, eamdem proprietatem Magnetis describit: *Quemadmodum in magneti, qui è ferreis annulis ipsum tangit, heret tenacissime: qui verò hunc deinceps, minus, pender tamen, & tertius à secundo, & quartus à tertio, & quintus à quarto, & alii ab aliis per longam seriem, una vi trahente, continuèque, sed non eodem modo, semper enim, quo longius absunt à principio, laxantur, eo quid remittatur vis attractoria, nec jam pariter astringere valeat: ita quoque & humano generi accidisse videtur, per singula tempora succedentibus exilioibus & corporis, & animi viribus, ac qualitatibus, &c. Hanc Philonis sententiam, eamdem similitudinem elegantissimis verbis exponens, Divus quoque Ambrosius (f) probare videtur, & alii etiam Patres, quos plenè Joannes Filescus (g) adducit.*

Eee

Ego

(s) Petil. de Princip. lib. 2. cap. 4. pag. 56.

(t) Claud. in 6. Consul. Honor.

(u) Tacit. 1. & 3. Ann.

(x) D. Thom. 1. parti. quest. 203. & in 1. 2. quest. 112.

art. 4. & latè Petil. d. lib. 2. cap. 3.

(y) Ovidius.

(z) Erasm. in Adag. pag. 205.

(a) Herod. in Vran.

(b) Hegesip. de excid. Hieros. lib. 5. cap. 46.

(c) Plin. lib. 36. cap. 16. Majol. in coll. de lapidib. Cæsius de mineral. cap. de Magnet. Joston. in Thaumato graph. clas. 4. cap. 15. pag. 156.

(d) D. August. lib. 25. de Civit. Dei, cap. 4.

(e) Phil. in lib. de mund. opif.

(f) D. Ambr. epist. 42.

(g) Filesc. lib. 2. select. in Eurip. Seculi, cap. 1.

13 Ego vero, licet non ignorem, plures alios (b) negare, mundum in aliqua sui parte
senescere, & perpetuam ejus esse, semperque fuisse, naturae constantiam asseverare, hac dispu-
tatione relicta, quod ipsi circa eam de vi Magnetis expendunt, longe certius, ac firmius in le-
gibus, de quibus nunc loquor, affirmo, experientia edoctus, tum ipsas, tum quaelibet alia man-
data Regia, remissius, atque languidius in regionibus a suo Magnete, vel Magnate distantibus
observari. Quod satis prudenter animadvertis Adam Contzen (i), hujus rei causam inferioribus
Magistratibus tribuens, qui leges, & Reges in illis minus verentur, quia de eorum excessibus
non ita facilis aditus accusatoribus patet, vel quia extrema negliguntur.

14 Et statim inter alia exempla, quod in Indi Orientalibus & Occidentalibus experti su-
mus, recenset, in quibus non legum, nec Regum incuriae, sed distantiae longae, & gubernato-
rum saevitiae, avaritiae, & ambitionis tribuendum est, quicquid a justis illorum mandatis, & pro-
visionibus deviat. Quod & ipsum non minori verborum pondere prius etiam observarunt Petrus
Maffeius (k), & alii, quos Ego, de hoc articulo plenus ceteris agens, in meis de In-
diarum iure libris recolui, inter quos Josephus Acosta (l) eamdem doctrinam, & ejus causam
elegantissimis verbis exposuit: Nam cum remotissime Regiones haec sint, Caputque hujus uni-
versae Reipublicae, sive Regiam, sive Pontificiam Majestatem expectantes, longissime dissitum, licen-
tia ac libidini Prefectorum campus late patens ostenditur, ut quicquid collibeat, licere sibi etiam
opinuntur. Quod enim longe distat, quasi nihil ad se pertineat, facile temeritas humana contemnit.
Hinc seditionis consilia, tumultus etiam, atque adeo totius Reipubl. perturbatione. Remedium vero
oppido seruo, atque incertum. Itaque ut Medici pulmonum, si agrotare caperint, curandorum, per
difficilem esse rationem docent, quod ad traducendum eodem usque medicamentum, longa & valde clau-
sa via sit per stomachum, ut pharmaci vis jam debilitata perveniat, aut ne perveniat quidem:
ita plane longinquitas supreme potentia, atque auctoritatis, hujus Reipubl. aegritudini levanda, re-
media opportuna vix plerunque expectare permittit. Quamobrem quicquid in rebus Indicis a Praefectis
peccatur, sine emendatione peccabitur.

15 Et iterum (m), specificè agens de injuriis, quæ miseria Indis fieri solent, quas exter-
tantum nobis exprobrant, id non legum, Regumve culpe, sed huic potius distantiae, & ne-
quitiae magis hominum, quam administrationis vitio vertendum esse, sic ait: Quoniam enim rec-
te, & sapienter constituta Respublica, quamvis aequis legibus temperata, facile improborum temeri-
tate violatur, cum sit nihil, quod non humana perversitas, si relinguatur, convertat in pejus.

16 Potestque eadem haec doctrina juvari ex eleganti alio simili forcipum, hoc est Tixeras,
quibus ad secundum aliquid utimur. Quas, ut res ipsa docet, & ex Francisco Maurolico, &
aliis Novarinus (n) animadvertis, quod propriis ad clavum medium, qui eas tenet ac regit, ali-
quid apprehendunt, eodem fortius, ac facilius illud dissecent, quod vero longius, remissius ope-
runtur.

17 Atque hinc descendit gravis difficultas, quam in magnis, vastisque, & dissipatis Im-
periis tuendis, & gubernandis, Divus Augustinus (o), Sanctus Thomas (p), & plures alii (q)
cordati Auctores passim expendunt, & Gymnosophisti ille Alexandrum Magnum tacite docuit,
cum super aridam bubalam pellem ambulare faciens, quæ pedibus una in ora calcata, ac com-
pressa, aliunde in altum surgebat, nec usquam constitutum firma, quoque ille tamdem medium pe-
dibus pressit, ut latius post Diodorum Siculum (r), alii (s) recensent. Idemque alia non minus
apta similitudine ostendit Erasmus (t), sic inquiens: Ut naves quedam maiores sunt, quam ut
gubernari possent; ita difficillimum est, ditionem ultra modum latam, feliciter gubernare. Id vero
multo difficilius, si ditionis portiones, longis intervallis distractæ sint.

18 Simulque etiam eadem haec ratio suo iure expulstum, ut quod Iatoribus Princeps, remo-
tioribus provinciis imperiet, eodem majori, ac vigiliori cura, de omnibus tam presentibus,
quam longe morantibus cogitet, & a Sapiente (u) sapientiam doctus intelligat, quod Cogitare de
illa, sensus est consumatus, & qui vigilaverit propter illam securus erit. Quia cura discipline dilec-
tio est; & dilectio custodia legum illius est. Custoditio autem legum, consumatio incorruptionis est,
incurratio autem facit esse proximum Deo.

19 Et hoc facilius certiusque consequetur, si non quosvis de foce Reipublicæ homines, ut
plerumque fieri assolet, ad regendas easdem remotas provincias mittat, sive praeficiat; sed quod
in

(b) Colum in præf. ad lib. de rust. Joston. integræ
tract. de nat. const. Beccan. de origin. Antwerp. lib. 2.

(i) Contzen lib. 7. cap. 7. §. 5. in princ. pag. 536.

(k) Petr. Maffeii lib. 12. hist. Ind. pag. 393. & Ego 1.

tom. lib. 3. cap. 6. ex n. 38. & 2. tom. lib. 4. cap. 12. n. 58.

(l) Acosta de proc. Ind. salute, lib. 3. cap. 4. pag. 290.

(m) Idem Acosta dist. lib. 3. cap. 5.

(n) Novarin. in Physiolog. art. 9762. pag. 574.

(o) D. August. de Civit. Det. lib. 4. cap. 15.

(p) D. Thom. de regim. Princip. lib. 2. cap. fin. late
Cassian 5. part. consid. 37.

(q) Pelag. de planct. Eccl. art. 62. concl. 6. Madera de ex-
cel. Hisp. cap. 9. fol. 61. Soto de just. & jur. lib. 4. 2. 4. art. 2.

(r) Diodor. Sicul. lib. 17.

(s) Plutarch. in Apoph. Eustath. Illiad. 1.

(t) Erasmus cent. 9. epist. 95.

(u) Sap. 6. 16. & seqq.

(x) L. 3. C. tit. 11. lib. 1. Cod. Theod.

in iis maiores excessus, & legum transgressus timeri possunt, eò in eisdem selectiores, ac probatores Proreges, Gubernatores, ac Magistratus constitut, ut graviter Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Imperatoris sanxerunt (x), statuentes: Per omnes provincias, & regiones,
in quibus fera & periculi suæ nescia latronum ferret insania, probatissimos quosque, atque dis-
trictissimos defensores esse mittendos, qui alsint discipline, & quotidianis actibus præsent, &c.

20 Et adhuc magis ad rem nostram Cassiodorus (y), dum formulam Rectoris provincie
scribens, sic incipit: Omnia prævidit decretiv Antiquitas, Judices ad provincias mitti, ne pos-
set ad Nos veniendo mediocritas ingravari. Quis enim latronum ferret audaciam, si longe positam
cognosceret disciplinam? Absolutè poterat vis permitta crassari, si conquerens tardius crederetur
audiri, &c. Et statim (z), formulam Comitivæ Siracusanae civitatis subjiciens: Major (in-
quit) cura tractanda sint, wide injuria plus timetur. De proximis vota causantium sustinens:
inde autem ultro requirimus, unde ad nos difficile venire posse sentimus. Non enim de Sicilia
querelas volonus venire, sed laudes: quia gravatur apud Nos actio Præalis, si eam tam longin-
qui potuerint accusare petidores. Falsus enim dolor esse non creditur, ubi tanti laboris tedia su-
beuntur.

21 Quod & adhuc longe magis esse observandum, ubi ædem Regiones non solùm sunt
remota, sed recens parva, vel in hostium confiniis posita, idemmet Cassiodorus sic in aliis
locis (a) docuit: Provinciis novis lefftissimum semper gubernatorem esse mittendum, ut ejus ma-
turitate consilia, titubantium possint corda firmari. Novitatem quippe sollicitam, prudentes conve-
nit habere Rectores: ut quemadmodum fuerit vite formatus ordo, sic curat instituta devotio.
Multum his creditur, quibus confinales populi deputantur, quia non est tale pacatis regionibus jus
dicere, ubi non tantum bella, quantum vita suspecta sunt, nec solùm vox præconis insonat, sed tu-
barum crepitus frequenter insultat.

22 Quæ loca, & alia Ego (c) expendi, dum de eximia cura, quæ, his omnibus de cau-
sis, haberi debet, in lefftissimis, & probatissimis Prætoribus, Auditoribus, & Proregibus ad
remotissimas, & vastissimas Indiarum Occidentalem provincias demandandis, sermonem insti-
tuui, ubi ad idem probandum alios etiam Auctores allego, & præcipue prudentissimum, Indi-
carumque rerum experientissimum Josephum Acostam (d), pluribus hoc rationibus suadentem,
& Romanorum exemplo, qui ad similes Provincias, non nisi lefftissimos, atque integerrimos
viros mittendos censerent, quippe qui egregie nossent, quos animos faceret temeritatis dilata
vindicta, utque soleat à reliquo grege sejunctus, vel ipse hos effterari, & non solùm in patriis
legibus, ac moribus observandis, & suadens Gubernatorem ejusmodi sedulum, & attentum
esse debere, verum, & in novis, novaque regioni aptis, ubi oportuerit, promulgandis, quod
in aliis rebus publicis, ac civitatibus ex multa antiquitate fundatis, & constitutis, non ita est
necessarium, cum illarum moderatores adjumenta plurima eademque maxima habeant, quibus
etiam non sinuntur errare. Ex quibus satis appetit semper leges, & præsertim in remotis pro-
vinciis, non solùm languidas, verum, ut & Plato (e) dixit, absque probatissimis Magistrati-
bus mortuas esse.



(y) Cassiod. lib. 6. epist. 21.

(z) Idem eodem lib. epist. 22.

(a) Idem lib. 4. epist. 16. & lib. 7. epist. 4.

(b) Ego 2. tom. lib. 4. cap. 2. 4. & 9. ex num. 15.

(e) Acosta de procur. Ind. Sol. lib. 3. cap. 4. pag. 288.

& seqq.

(d) Plat. de Republ. Dialog. 6.

EMBLEMA LXVIII.

LEGUM, LITIUMQUE MULTITUDO, EXITIALIS.



*Ut volucres campis solitus prædarier Auceps,
Subdola cum visco retia fraude tegit:
Sic fora sunt Campi, prætensaque retia leges,
Queis Rabulae miseros illaqueare solent.
Hos abige, o Princeps: leges, litesque secentur,
Si salvas volucres Plebis habere cupis.*

COMMENTARIUS.

AD Decorem verò, & meliorem custodiam, & observantiam legum, quas adeo utiles, & necessarias in Republica diximus, curare Principes debent, ne (ut suprà (a) etiam tetigi) ita sint multæ, ut vel sui numerositate vilescant, vel confusione, & litium, ac jurgiorum semina subditis pariant. Planè enim inter omnes constat, nullum prope rebus publicis majus exitium legum multitudine, ac varietate affterri posse; & ut Tacitus (b) dixit, non nisi in corruptissima Rep. plurimas esse leges.

2 Et cum secundùm Imperatorem Justinianum (c), quod medicina morbis, id præbeant jura negotiis, & ad hominum medicinam instituantur, medicinæque aphorismis, seu regulis regi solent, (ut pluribus Petrus Canonherius (d) ostendit) inibi multos esse morbos manifestabunt, juxta vetus dictum Arcesilai (e), ubi plures Medicos, pluraque pharmaca viderimus.

3 Quapropter Solon, unam legem unicuique negotio satis esse dicebat, & Aristoteles, à Nostro Saavedra (f) laudatus, paucas, & de rebus gravibus ferri oportere, reliqua verò Judicium arbitrio remitti. Et Deus apud Osean (g), se suo populo in scelerum punitionem, plures leges daturum, his verbis communatur: *Quia multiplicavit Ebraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum, scribam ei multiplices leges meas, que velut alienæ computatae sunt. Congi quoque Rex, alioqui Barbarus, ut Damaritus (h) enarrat, ubi primùm à Lusitanis aditus fuit, oblatum, valdeque ab ipsis laudatum, ingens suarum legum volumen evolvit, & ubi ita multas esse conspexit, procul illud à se rejectit, inquiens, impossibile esse, tot leges hominibus ab observari.*

(a) Supr. Emblem. 66.

(b) Tacit. 4. Annal.

(c) Just. in Autb. hac const. innov.

(d) Canon. in Aphor. pol. ex pag. 517.

(e) Demosth. ad Leptinem.

(f) Saavedr. Empr. 21. pag. 138.

(g) Oseae 8. 11.

(h) Petr. Damariz dir. 4. fol. 299.

Quod

Legum, litiumque multitudo, exitialis.

405

4 Quod etiam sensit, & non invenustè Anglus Epigrammatarius (i) irsisit, sic inquiens:

Condidimus leges, quæ multas, quæ propè nullas.

Nam si servatur nulla, quid ulla valet?

Ut leges serventur, adhuc lex unica fiat:

Hec citò facta foret lex; citò fracta foret.

5 Idem etiam nobis satis Deus indicavit, dum nostris Protoplatis in Paradiso unicam dumtaxat (k) legem, *De non comedendo de arbore vitæ* constituit. Et Servator, Salvatorque Noster Christus Dominus, qui totam legem suam, & naturæ hoc solo præcepto (l) conclusit: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Quod quidem pro multis sufficerat putavit, & pro foribus Palatii sui jussit perscribi Imp. Alexander Severus, ut Lampridius (m) in ejus vita recenset. Neque omisum fuit à Nostris Juris Consulis qui ex eo illum Titulum confecerunt: *Quod quisque juris in alium statuerit, ipse eodem jure utatur.* Circa cujus illustrationem, plura Doctores ibidem, & novissimè Camerarius (n) adducit. Leges etiam Moysi à Deo data, decem tantum fuerunt, quæ & ipsæ ad duas reducebantur, *De Deo nimis colendo, & proximo amando,* & duabus lapideis tabulis facile insculpi potuerunt, *uti in Exodi (o) libro latius habetur.*

6 Legibus quoque admodum paucis, & brevibus, quæ duodecim tabulis eboreis scriptæ furent, corpus totius Romani juris, ut ait Livius, olim absolyebatur. Quas meritò *jus vetus* appellavit Caius Juris Consult. (p) & primas leges, quæ Romanis aliquam Rempublicam constituerint Imperator Justinianus (q). Easque vel ob hanc ipsam paucitatem, & brevitatem, ita apud Marcum Tullium (r) Crassus extollit, ut dicere audeat, in illis, totam civilem scientiam, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, contineri, & statim subjiciat, *Fremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliothecas mehercè omnium Philosophorum unus mibi videtur duodocim Tabularum libelius, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.*

7 Et quoniā hæc postea, succendentibus temporibus, Decemviralibus interpretationibus, Consulū legibus, Plebiscitis, Senatus Consultis, Prætorum edictis, Prudentum responsis, & libris & demum Principum rescriptis, & constitutionibus, in eam multitudinem execreverunt, quam Pomponius Juris-Consult. (s) & alii, qui de historia Juris civilis scribunt latè commemorant, labore sua mole cooperunt, & potius Rempublicam lèdere, quæ juvare, ita ut omnino nova compositione, ac reformatione opus habere viderentur. De qua facienda, jam tunc suo tempore Caius Julius Cæsar cogitavit, ut in ejus vita Suetonius (t) enarrat, & Crassus apud Tullium (u) fatetur, legalem scientiam dispersam admodum esse, oportereque jus civile in artem aliquam redigi, quæ ipsum in certa digerent genera, & deinde, eorum generum, quasi quædam membra dispergit, tum propriam cuiusque vim definitione declararet.

8 Cornelius etiam Tacitus (x) testatur, tantos suo tempore aliarum super alias acervatarum legum cumulos fuisse, ut omnem propèmodum æquitatis splendorem sua multitudine obruerent. Caligula quoque totum hoc jus abolere voluit, ut Suetonius (y) refert, & ex solo arbitrio suo occurrentium negotiorum dubitationes decidere. Adrianus & Macrinus omnia rescripta veterum Principum tollere, ut Spartanus (z), & Capitoinus (a) scribunt, ut jure, non rescriptis ageatur.

9 Et tamdem Justinianus Imperator (b), hæc omnia in eam rapsodiam rededit, quæ hodie in Digestorum, & Codicis voluminibus circumfertur, ut ipse latius recenset. Quam, licet multi (c) laudent, plures vituperant, & illud omnibus in confessu est, lites non minuisse, sed auxisse, præsertim postquam per Lotharium Saxonem Imperatorem Irnerii suacione, luce denuata, ejusdem, & aliorum Barbarorum glossis, & interpretationibus obscurari potius cœpit, quæ ilustrari, ut graviter Hottomanus (d) conqueritur, & ex nostris Joannes Parladorius (e), qui benè notavit, quò si libri haec in rem editi, alii super alios ponerentur, Babyloniam turrim

(i) Joan. Oven. lib. unic. epigr. 254. pag. mibi 136.

(k) Genes. 2. 17.

(l) Matth. 7. 12. Luc. 6. 31.

(m) Lampr. in Alexandr. Severo.

(n) Camer. 1. tom. sube. cap. 98.

(o) Exod. cap. 20.

(p) Caius in l. 1. D. de petit. hered.

(q) Justin. Imper. Nov. 22.

(r) Tull. lib. 1. de orat. tradit. alia Baldwin. in Praefat.

ad eandem leg. n. 8. & in Proleg. jur. civil. & Perr. Suffrid.

Levor. in orat. de præstant. leg. Roman. quicquid eas carpat

Phavorin. apud Agell. lib. 20. cap. 10.

(s) Pomp. in l. 2. de orig. jur. ubi Zass. Everlin. & alii.

Aimar. & Forster de histoir. jur. civil. Baldwin. & Suffrid.

supr. & Galii partim.

(t) Sueton. in Cajo, & Baldwin. in proleg. pag. 43.

(u) Tull. dist. lib. 1. de orat.

(x) Tacit. 3. ann. cap. 25.

(y) Suet. in Caligul. cap. 34.

(z) Spartan. in Adrian.

(a) Capit. in Macrin.

(b) Just. Imper. in Proleg. Dig. & Inst. I. 1. C. de nov.

Cod. I. 1. & 2. C. de vet. jur. en. late Politian. dist. lib. 4

epist. 9.

(c) Donel Osuald. Prat. Vacon. & alii quos refert Ma-

thesæ de via & rat. jur. lib. 1. cap. 27. & Pichax. in præ-

lud. ad 4. lib. Inst. n. 3.

(d) Hott. in epist. proe. ad feud.

(e) Parlad. in epist. ad filios.